DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,



*DE*

# MORBORUM CONSENSU,

*QUAM*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*
**DOMINO CAROLO,**
BORUSSIÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRANDENBURG. CETERA,

*GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,*

PRÆSIDE,

**DN. MICHAELE ALBERTI,**

MED. DOCT. ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, PHILOSOPH. NATURAL. EXTRAORDINARIO, ACADEM. NATUR. CURIOS. COLLEGA,
*FACULTATIS MEDICÆ h. t. DECANO SPECTATISSIMO,*
DN. PATRONO, PRÆCEPTORE ET PROMOTORE
SUO OMNI HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

*PRO GRADU DOCTORIS,*

Summisque in arte Medica Honoribus, Insignibus, ac Privilegiis More Majorum Solenni Obtinendis,

*Ad d. Decembr. MDCCXVI. horis ante & pomeridianis,*

Publicæ Eruditorum ventilationi submittit,

JOHANNES JACOBUS Horch.
Berol. March.

---

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,*
Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.



# PROOEMIUM.



AB omni ferme tempore, quo salutaris illa ars, vitæ & sanitatis humanæ emolumento intenta & inclaruit & magis magisque innotuit, dignum sane, quid quod necessarium opus fuit, quo opiniones a Scientia, conjecturæ a veritate, & præsumtiones a certitudine sollicite & accurate discernantur, ut eo magis ipsa illa sacra Medicina, cujus autor benignissimus Deus est, a vulgatis opprobriis repurgetur, & quantum a conjecturis aliena sit, aut quousque a nudis præsumtionibus abstineat, commendetur & vindicetur. Quare opiniones ingenuus medicorum Antistes *Hippocrates* passim & inter alia *in Libr. de dec. orn.* reprehendit, atque expressis verbis profitetur, quod *opinio maxime in Medicina in crimen vertatur, eam adhibentibus, & his qui ea in se usi sunt, perniciem afferat* adeoque in *Libr. IV. de morbis* ad refellendas opiniones *multis argumentis opus esse* indicat, quanquam *Cicero* spem faciat, quod *dies opinionum commenta deleat.* Provocant itaque ingenui Hippocraticæ dexteritatis & prudentiæ imitatores,

ad ſolidas, ſimplices & luculentas demonſtrationes, proinde etiam ab imaginatione & credulitate aſſidue dehortantur, ne dicta & facta, diſſonent & diſſentiant, *nam putare quidem non autem facere ignorantiæ & ἀνεχνίης ſive artis deficientis ſignum eſt*, dicit laudatus ſenex, *loco cit.* Et quanquam ſolidæ atque fidæ demonſtrationes, non posſint non, quin alicujus diſciplinæ & artis veritatem & certitudinem comprobent, requiritur tamen in ipſis illis demonſtrationibus vera connexio, ut res & cauſæ, deinde cauſæ & tractationes bene conſpirent, adeoque ratio & experientia ſe invicem tueatur, illuſtret & confirmet: quod deſiderium non ad ornamentum, ſed ad eſſentiam artis medicæ ſpectat, quo odioſæ opiniones & ſuſpectæ conjecturæ magis evitentur. Loquimur de *Harmonia Theoriæ cum Praxi*, cum turpe & a dexteritate Medicinæ conſtanter avertendum, illud ſit ſymbolum aliter ſentire & aliter facere velle, unde recte *Seneca Ep. 20.* dixit: *quod maximum hoc ſapientiæ & officium & indicium ſit, ut verbis opera concordent:* quapropter ratio & experientia ſibi invicem Cynoſura ſint, & in tali vinculo unita vi eo fortius ſanitati humanæ promovendæ operam dent. Sed ſane non omnes hoc verbum capiunt, dum multi adhuc ad ſolidam veritatem pertingere potuiſſent, ni ſe eo iam pertigiſſe credidisſent, aut magnalia adhuc de ſe prædicent; ut proinde plurima turma & cohors laudi ſibi ducere geſtiat, quod veritates & infallibilitates poſſideat, & ſicut ſecuri & ad morem corrupti mundi viventes Chriſtiani de fide ſua non dubitant, ita etiam multi in noſtro foro de veritatis poſſeſſione haud diffidunt aut hæſitant; ſed quemadmodum vino vendibili non opus eſt hedera, ita medi-

medicina non indiget ſolenni præconio, quando hic *Nexus* inter *Theoriam* & *Praxin* clarus, planus & fidus eſt. Hæc nota, hic Character, fide dignæ artis Medicæ eſt: quæ connexio vero ſi deficit, quotiescunque etiam & quantumcunque veritates declamentur, non fieri aliter poteſt, quin bonus Theoreticus ſit malus Practicus, aut Medicina ſit artificium conjecturandi, certo & publico privilegio inſtructum, ut propterea expeditus & diffuſus Hariolus, ſit optimus Practicus, & loquax atque garrulus ſpeculator optimus Theoreticus audiat. Permovit hoc diſſidium inter Praxin & Theoriam, & damnum quod ex eodem emergit ac in negotium ſalvandæ & confirmandæ ſanitatis redundat, Viros integros & ingenuos, quo huic defectui conſulant, emendationem concilient, & *Conſenſum* inter utramque ſtabiliant: id ipſum vero quo eo facilius impetretur, cura adhibita fuit, quo res & cauſæ inter ſe bene conſpirent, ita conſenſus Theoriæ in ſuo complexu, eo magis inſerviet, pro obtinendo Theoriæ & Praxeos nexu. Utut vero veteres medici bene agnoverint, quod in medicina ejusmodi harmonia neceſſaria ſit, condonandum tamen merito eſt eorum intentioni, quod curæ adhibitæ non ubique ad vota ſucceſſerint: qui enim in arte noſtra glaciem fregerunt, non omnia perſpicere potuerunt, cum juxta *Hippocratis* effatum *ars longa* & *vita brevis* ſit; quemadmodum defectus ſubſidiorum inſtrumentalium inter veteres, tantum impedivit, quo minus ſuis ævis hunc nexum pertexerint; adeoque poſteritati tantum reliquerunt, quo eorundem ſolertiam & celebritatem imitari queat. Laboraverunt iam ſuis temporibus *Hippocrates & Galenus* quo convenien-
 tiam

tiam in morborum causis inquirant & commendent, adeoque multum in bilis & pituitæ scrutinio & applicatione hæserunt, neque penitus frustra operam impenderunt, cum in eo laus ipsis merito tribuenda sit, quod affectus biliosos eorumque consensus & concursus satis accurate annotaverint: in quo specimine egregia industria antecesserunt viri laudati: & proficeret ulterius tum morborum in se spectatorum, tum causarum connexionem indigitasse. Dolendum vero etiam est, quod in adjuvando & illustrando hoc negotio interdum vires inversa methodo applicentur & consumantur, atque animus humanus tantum corporis & materialibus respectibus & conceptibus implicetur, cum tamen vitæ, sanitatis & morborum *formalis* ratio minime in nuda tali aut principali materiarum & materialium qualitatum alteratione consistat. Substiterunt itaque non pauci in illa opinione & persuasione quasi pro reliqua connexione in Arte Medica adjuvanda & adumbranda *partium* humani corporis *consensus* inquiri & commonstrari debeat, unde studium circa consensum partium occupabatur, quæ connexio post hac cum diversis physicis & mechanicis suppositionibus, theorematibus, aut plane paralogismis complicabatur, & ex eodem fundamento corpus humanum, ut nudum avtomatum, sistebatur. Et licet *Plinius* hunc *partium consensum Collegium Naturæ* appellare sueverit, promeruisset tamen, quo societas illa, qua partes utuntur, paulo magis perspicue ad statum vitalitatis applicata fuisset, in quo nimium quantum illæ amplissimæ necessitates & possibilitates physicæ aut analogiæ inter Motus Macrocosmicos & Microcosmicos, crinibus plurimum contractæ & congestæ, claudicare conspiciuntur. Fere similia fata subiit

dif-

diffusa & operosa illa sententia de Consensu generis nervosi edisserens, quæ, licet satis cognita & agnita sit, quantum theoreticæ veritati medicæ promovendæ subserviat, multiplicia documenta comprobant, & tantum indigitant, quam sæpe sine ulla solida demonstratione, hæc assertio refugium quoddam in angustiis theoreticis constituat, cum consensus ille suppositus nervorum, nimis spatiosus, diffusus & universalis existat. Non animus nobis est in ejusmodi diversis disquisitionibus placita personarum reprehendere, quod conamen a nobis longissime absit, illa modo animis nostris inhæret cura, quo cooperemur, ad promovendam veritatem in *Nexu Theoriæ & Praxeos* Medicæ; & dum indicato modo hæc consensio certitudinem artis eo magis suffulcit atque erigit, ita propositum nostrum fuit specialiori quadam tractatione hanc connexionem commonstrare. Concurrit huc præsens occasio, qua aditus panditur, ut Inaugurali hoc specimine MORBORUM CONSENSUM explicemus & demonstremus, quo Pathologiæ vere medicæ pro virium nostrarum, quas gratia divina concessit, modulo & tenuitate, ejusque commodo, in tantum operam nostram & studium adhibeamus, ne specialiores morborum deductiones per tot discretos sensus & respectus trahantur & lacerentur, sed prompta atque compta cohæsione & dependentia perspicua gaudeant. Annuat itaque, uti supplices & devoto animo rogamus, proposito nostro Benignissimus Deus, atque opellas & meditationes nostras ita dirigat, quo veritatem medicam augeant foveantque, gloriam vero omnium veritatum fonti persolvant æternam.

§. I.

§. I.

DUm *Morborum* dependentiam & *Consensum* exponere laboramus, ante omnia nobis incumbit, quo clarius significemus, quid per consensum talem intelligamus, ut reliqua deductio utilitatem suam eo magis manifeste comprobet. Non quidem hoc loco advertimus *generalem* illam distributionem morborum, qua vulgo *quantitatis*, *qualitatis* & *motuum* vitia explicari solent, ita ut certus numerus morborum circa considerationem quantitatis, ingens etiam numerus circa observationem qualitatis cohæreat, cum non æque intendamus per has classes tantum connexiones illas commonstrare; neque cogitamus hanc *harmoniam* inter morbos ex *consensu* sive luculentiori sive obscuriori corporis & *partium* integrantium recensere, uti v. g. Cacochymia & lymphæ spissitudo cum tumoribus glandularum, aut uvulæ prolongatio, cum nodis in carpo juxta *Hannemannum A. N. C. Dec. II. Ann. V. obs.* 127. connectit, unde secundum *Rondeletium Meth. cur. Morb. Libr.* 2. *cap.* 4. tonsillarum inflammatio per frictionem in carpo curanda commendatur, quo spectant animadversiones circa idem negotium commonstrandi consensus partium & morborum institutæ *Hieron. Cardani in Metescopia Lib.* 13. *Melampodis in divinatione ex nævis corporis. Ludovic. Septalii Tr. de nævis A. N. C. Dec.* I. *Anno.* I. *obs.* 20. *Dec.* II. *An.* 2. *obs.* 56. *Anno* III. *obs.* 50. *de cura relaxatæ uvulæ Sachsii a Lowenheimb. Sigismund. Elsholzii in Anthropometria &c.* Conferatur *Bausnerus de Consensu partium humani corporis*, *Lygæus de humani corporis harmonia*; neque laborabimus ex *suppositionibus* aut præmissis theoreticis eundem consensum commendare, cum potius harmonia illa *ex se* ipsa & morborum *indole* inclarescere debeat, ut nullis præceptis aut vinculis qualitercunque conquisitis opus sit; neque animus est in *generalioribus* quibusdam caussis promiscuè sæpe ad morbos applicari solitis, qualis imprimis

mis in Pathologia illa suspecta muriatica & salsa occurrere solet, hanc convenientiam investigare & commonstrare, nedum in aliis æquivocationibus hoc negotium inquirere, sed potius ipsam *simplicem* & genuinam morborum *indolem* Cynosuræ instar adhibere, quo hunc consensum indicemus & deprædicemus.

II.

Dicitur itaque nobis *Morborum Consensus* illa *evidens* atque constans morborum dependentia & *propagatio* è specie in speciem, maxime quoad *fines*, aut necessarios exitus conspirans, quanquam in diversa *schematum*, *successuum*, *methodorum*, *motuum* & *graduum* mutatione consistens: hæc dependentia vero in tali consensu ita demonstrari potest atque debet, ut magnus morborum numerus in *unum centrum* confluat, & ex eodem profluat aut generetur, ita, ut si hoc centrum recte constat, non modo eorundem morborum vera *indoles* recte innotescat, sed & *medica* illorum tractatio bene *consonet*, atque ab omni confusione, incertitudine, inconstantia, temeritate, timiditate, conjectura, opinione & cœcæ fortunæ confidente & inhærente successu purgetur & liberetur, quippe qui usus ex hac notitia emergens ingens sane & celebris est: loquimur itaque de tali *consangvinitate* ægrotationum, quæ quoad respectus *finales*, quo vel collineant vel retrospiciunt, perspicua, solida & simplex, propterea que in therapia multa fide, ingenua fiducia & quolibet studio imitanda est: adeoque hæc cognitio pro suo certo, perpetuo & firmo tutore *Rationem* & *Experientiam* agnoscit: fugit vero atque aversatur opiniones, & quaslibet vanas aut nihil cohærentes atque contradictorias speculationes & allegorias, vel contortas, confusas & coactas conclusiones: inter alia requisita *Consensus* ille sese *simplicitate* commendat, ut luculenta commonstratione & demonstratione unum ex altero fluat, & tantum animus ad effectus, successus & eventus applicandus sit, quæ sunt infallibilia & certa quædam documenta, quæ in dubium vocari haud possunt:

ſunt: involvunt propterea conſenſus illi tum *ſimplices* ipſorum morborum *progreſſus*, tum diverſos concurſus *accidentales* & individuales, prout videlicet cum primitiis talium ægrotationum aliæ cauſæ ſive externæ ſive internæ concurrunt, & ſimpliciori alicujus morbi ſtatui conjunguntur: quare etiam tantum utilitatis hujus conſenſus notitia confert, ut ſub morborum *conſequentium* & per *ætates* variantium diſquiſitione mox *prægresſi* morbi horumque genuinæ atque veræ *cauſæ* innoteſcant, ſicque totum perpeſſarum morbidarum afflictionum ſyſtema vero, certo atque firmo nitatur fundamento: quale emolumentum conjecturis medicis multum & efficax damnum dat ſive derogat.

III.

Quando vero eminentem & notatu maxime dignum conſenſum talem inter morbos indicare in nos ſuſcipimus, minime conveniet hoc propoſitum atque negotium ultra ſcopum aut mentem noſtram aut ſupra ejusdem circumſtantiæ conditionem extendere, neque rigoroſe urgere, atque deſiderare, *omnium* quotquot etiam in ſchola Medica ferme innotuerunt, morborum convenientiam ex uno fonte haurire & deducere, cum ſuffecerit *numeroſorum* morborum cohæſionem indigitaſſe, ut propterea declaratio noſtra, quod videlicet inter morbos *conſenſus* detur, in dubitationem adduci nequeat, quia non omnes & ſinguli morbi connectunt, cum cauſarum inveniatur multitudo & variatio, hoc enim eſſet plus ab aliquo urgere, quam unquam promiſſum fuerat: ſicuti ſimiliter fruſtraneum conamen eſſet, ſi talis morborum *cauſa* indicatur & explicatur, ex qua *longe numeroſiores* morbi profluunt, quam ab *ulla alia* in tota ætiologia expectari forte poſſet, hanc *infirmam* aut minus dignam æſtimare velle, quia dantur alii morbi, qui ab illa cauſa non dependent: quapropter animus noſter eo redit ut *Specimen* de morborum conſenſu ſiſtamus, & brevibus ſignificemus, quantam utilitatem hæc cognitio in artem medicam transferat: & quando de morbis agere conſtituimus, tanquam

de

de subiecto hujus consensus, minime affectus *rarissimos*, *obscuros* & valde intricatos selegimus, sed ut hæc explicatio magis digna & fida sit, de *simplicioribus*, frequentioribus magisque cognitis, plurima ex parte sermonem instituemus & commonstrabimus quam frequentem, magnum & multum usum hæc notitia habeat in Medicina, ne forte hæc animadversio, pro nudè theoretica aut speculativa habeatur, licet genuinus hujus consensus character è nulla opinione & speculatione, sed è phœnomenis sive specie facti, id est *Historia* ipsa proxime, directe & perspicue fluat: nihil enim magis veritatem medicam impedit & obfuscat, quam argumentatio a *posse ad esse*, cum potius omni occasione præferri mereantur, illa quæ *solent* fieri, præ reliquis, quæ in nuda *possibilitate* consistunt: eapropter hoc loco non immorabimur morbis illis *possibilibus* recensendis, quales inter alios sunt *frequentes* obstructiones vasculorum sanguiferorum tum capillarium tum aliorum, stimulationes & tormenta punctoria generis nervosi &c.: & valet hic ex parte quod *Hippocrates* dixit *Lib. de Arte*: *absurdum est, quod non est, esse putare &c.*

§. IV.

Neque quidem necessarium esse existimamus, ut pleniori explicatione significemus, quid per *Morbos* intelligamus, cum quilibet talis status ab *ordine sanitatis* declinans vulgato & simplici sensu morbus nuncupetur; quanquam propterea non asseramus, quod quilibet morbus *absolutè* & simpliciter perniciosus & *mortiferus* sit, aut quod *alteratæ* commotiones promiscuè turbulentæ, confusæ & *præternaturales* existant; cum copiosorum morborum *formalis* constitutio evidentem *salubritatem* contineat, ut *per morbos* tales affecti homines salvari & periculis mortis educi debeant, testimonio *Febrium*, *Hæmorrhagiarum*, plurimorum *spasmorum*, *Inflammationum*, *alvi fluxuum*, tam serosorum, quam biliosorum, *Congestionum*, *Rhevmaticorum* affectuum similiumque, quos singulos morbos ab illa triviali injuria pur-

 ga-

gamus, quasi ex se & *per se* hominem interimant, cum inter alias solidas & aureas demonstrationes *Illustris D. D. Stahlius Febrem per se non lethiferam* esse sufficienter exposuerit, ita ut hoc loco non necessarium esse reputemus, quo illas infirmas obtrectationes declinemus & excutiamus, quod febris salutaris esse nequeat, cur? quia homines febribus, uti formula audit, moriuntur, aut quia homines infirmantur, dolent, ægrotant &c. dum salubritas minime ex hisce circumstantiis petitur & urgetur, sed singula hæc *consectaria*, imo accidentia, a *formali* ratione & destinatione prudenter discerni debent: unde spasmi, inflammationes, ardores, dolores, cruciatus &c. *abstractiori* sensu aut in comparatione cum sanitate nihil bonum constituunt; Si vero *causa* spasmorum & inflammationum præsto est, tunc salubritatem suam affectus tales evidenti documento comprobant: in qua morborum consideratione præcurrens *genericus consensus* illucescit, quod nimirum *multi* morbi, sint necessarium, utile & *proportionatum* medium & adminiculum pro recuperanda *sanitate* & integritate amissa: de qua ipsa re quidem hoc loco ex instituto agere animus non est, interim brevibus hoc exemplar pensitationi commendamus: si pars suppuratur, dolet, ex parte etiam rubet, ad motus voluntarios inhabilis est, aut tensionibus aut pruritibus afficitur, quale quid in sensu abstracto, bonum non est, si vero alicui parti vulnus inflictum fuit, sane hoc non reparabitur ni quoddam hujus phœnomeni concurrat, quod respectum deinde habet ad complicatam salubritatem obtentæ restitutionis.

§. V.

Extendit proinde sese hujus disquisitionis de *Consensu* morborum *utilitas*, non modo in verum intellectum eorundem affectuum, quatenus simpliciter decurrunt, aut in quantum ipsi illi morbi *primitivi* & simplices sunt, sed & in quantum *symptomatice* & secundario occurrunt, & aliis afflictionibus, quæ cum iisdem morbis quoad *primarium* scopum non directe cohærent, *superveniunt*; quando v. g. hæmor-

rha-

rhagiæ, aut molimina hæmorrhagica, acerbiores congestiones in febribus acutis, cholericis, malignis, occurrunt, ubi nulla necessitas cogit, quo nova causa fingatur, quæ ut plurimum cum indole febris nihil conspirat, sed suppeditat hic consensus morborum, in simplici suo fundamento agnitus, satis luculentam causam & cognitionem ejusmodi insoliti accidentis aut symptomatis: simile exemplar est, quando cum affectibus catarrhalibus, intensiores congestiones vel rhevmatici insultus concurrunt, aut quando post suppressiones evacuationum *sanguinearum* affectus & effectus *ulcerosi*, scirrhosi, *serpiginosi* oriuntur, qualium successuum vel concursuum rationales deductiones interdum misere torquentur, & posthac neque cum ipso statu ægrotationis, neque cum subordinanda therapia conveniunt: superat vero ejusmodi difficultates præsentis, quem commendamus, *Consensus* simplicior cognitio: & quemadmodum in pathologia medica, singulare hoc est desiderium quo *symptomata* cum reliquo morbi *statû* recte connectantur, sive illa sint *essentialia*, sive *accidentalia*, ita ipsa illa consensus morborum notitia sufficiens & conveniens subsidium est, quo huic desiderio satisfiat: quid quod denique indicandum est, quomodo hic consensus nihilominus *inter morbos* adsit, quanquam ex certa specie eventus evidens *dissensus* emineat, sicuti forte durum dictu videri posset, de quibusdam *serosarum* excretionum speciebus asserere & asseverare velle, quod cum *hæmorrhagiis* conspirent, aut de veris & perfectis *atoniis* seu defectivis motuum vitiis statuere, quod cum prægressis motuum *excessibus* consentiant, v. g. quando Paralysis, Apoplexia aut suffocativus Catarrhus, e podagra, motibus hæmorrhoidalibus aliis retropulsis evidenti quadam consequentia oritur: quæ *contrarietas* quoad *eventum* occursans, forte ad quorundam opinionem dissensum morborum euincere & deberet & quadantenus posset.

§. VI.

Ast ne diutius ejusmodi præparationibus ad proposi-

cum collineantibus ſive generalioribus explicationibus atque commemorationibus prædicatorum immoremur, edisſerimus de hoc Conſenſu quod per *totum* vitæ tractum decurrat; quemadmodum enim juxta *Hippocratis* digniſſimam obſervationem morbi *per ætates* variant, neque confuſe & promiſcue corripiunt, ita ex hac annotatione aliquo modo colligere licet, quod morbi, dum ſe invicem ita *conſequuntur*, neque uſitatius ſe invicem præcurrunt, aut inter ſe confuſe decurrunt, aliquam conſpirationem habere debeant: deinde ex hac *ordinata* morborum *conſecutione* eluceſcit, quomodo plures *periodi* ad easdem morbos requirantur, quæ a primis annis ad & in ſenectutem progrediuntur, ut adeo hæc conſecutio morborum per ætates decurrens hunc morborum conſenſum per totam vitam humanam perpendendum & annotandum commendet, quippe quæ propterea *generalis* morborum *harmonia* exiſtit: ſed dum præterea laudatus Senex plures morbos in qualibet ætatis periodo recenſuit, uti inter alia *Sect.* 3. *aph.* 29. juvenibus *hæmaptyſin* & *phthiſin* familiarem eſſe allegat, & *Sect.* 8. *aph.* 7. annos exprimit, quos phthiſis corripere ſolet *conf. Celſus Lib.* 2. *cap.* 1. ita adhuc *ſpecialiorem* morborum conſenſum in qualibet ætate occurrentem obſervamus & commendamus, quo deinde cognita vera hujus connexionis cauſa, medica horum morborum tractatio *rationabilior* & efficacior ſit: quam celebrem priſcæ ſolertiæ obſervationem peculiari cura exquiſite illuſtravit & commendavit *Celeberrimus Stahlius Diſſ. De Fundamentis morborum ætatum*: & quemadmodum per totum vitæ decurſum atque terminum, nec non per ſingulares periodos ætatum obtingentes morbi certis *excretionum* ſpeciebus ſeſe definientes conſpirant, ita etiam *reliqui* ſine craſſis evacuationibus exeuntes affectus ſuum conſenſum tuentur atque poſſident, quod imprimis circa Hiſtoriam hujus conſenſus recte comprehendendam atque texendam notandum eſt, ne videantur morbi illi, qui per ætates quoad *ſpecies* diſcrepant & variant ex confuſis cauſis ortum ſuum

ca-

capessere & *turbulenter* irruere, aut ne supponantur rationes imaginariæ omni solida demonstratione cassæ.

§. VII.

Præter hanc ætatis conciliationem datur etiam *Morborum Consensus* in diversis *Temperamentis* & quidem iterum vel *generalis* vel *specialis*: prior respicit illos morbos, qui inter temperamenta *communes* existunt, velut excretionum ordinariarum perturbationes, sive sudoris sive alvinæ liberationis, aut evacuationum sangvinearum impedimenta, vel motuum hæmorrhagicorum anomalias: posterior attinet illos morbos, qui certo temperamento *proprii* sunt, qui proinde haud *tumultuarie* corpus pervadunt, sed ex certa ratione & *origine* propendentes, in futuris suis variationibus & quandoque contingentibus *metaschematismis* ad priorem originem respicientibus, cohærent; utut vero ejusmodi morbi temperamentis suis *genuini* existant, tamen cum modo indicata circumstantia ætatis conveniunt, quando insuper per ætates quoad species aut acerbiores gradus variant, attamen inter se harmoniam luculentam servant: & quanquam ejusmodi morbi quoad corporis *regiones*, quas diversimode invadunt, dissentire & discrepare videantur, deprehenditur tamen consensus horum morborum in *formali* ratione, & simplici indole aut *finali* etiam respectu: sicuti v. g. in subjectis *Melancholici* temperamenti affectus gravedinosi, vertiginosi, cephalalgici obtusiores, & oppletorii, tinnitus aurium, palpitationes cordis futuræ, cardialgiæ, oppressiones præcordiorum, affectus ventriculi, vitia concoctionis, molesti ructus, flatulentiæ anotericæ, hypochondriorum dolores, affectus exquisite hypochondriaci, splenetici, hepatici, flatulentiæ præclusæ, scirrhi viscerum, obstructiones alvi contumaces, vitia Urinæ, afflictiones hæmorrhoidales, tenesmi, contracturæ & ariduræ artuum, affectus paralytici, hectica &c. *inter se* firmam atque solidam communionem habent servantque, & quidem in quantum hi affectus *melancholicis* frequentiores esse dijudicantur: ut ita necesse haud

sit,

ſit, quo pro quolibet horum morborum nova pathologia inveniatur, fingatur & obtrudatur: & hæc conſideratio commode & cum multa utilitate ad reliqua temperamenta applicari poteſt imo etiam debet: ſuffecerit hujus circumſtantiæ hac vice mentionem injeciſſe.

§. VIII.

Occurrit porro ſingularis & notabilis *Morborum Conſenſus* in diverſo hominum *Sexu:* quanquam enim morbi ſecundum diverſitatem ſexus quadantenus *variare* ſolent, tamen in quolibet, cui competunt, Sexu, ſuam *harmoniam* ſervant, unde in *maſculis* hæmorrhagiæ narium, phreniſis, hæmoptyſis cum ſuis apparatibus, inflammationes pectoris, nephritis, Urinæ vitia, motus hæmorrhoidales, affectus lumbares, podagrici & alii, inter ſe non diſſentiunt, uti in *femellis* affectus cum *menſium* negotio cohærentes, incommoda ventriculi & præcordiorum, effectus ſpaſmodici per meſenterium vagantes, torminoſi flatulenti, affectus aſthmatici, cardialgici, cephalalgici, hyſterici, quid quod affectus illi ſpecialiſſimi ex imprægnatione, puerperio & lactatione deſultantes ſimili conſenſu ſatis plano & fido nituntur: & confirmat ſane ſimplex, ingenua & attenta experientia, quantum utilitatis conferat hujus conſenſus notitia in fœminarum morbis recte comprehendendis, dijudicandis & tractandis, & quantum præſervet eadem, ne in vanas illas *ſuppoſitiones* de horrida uteri *intemperie* & *virulentia* prolabamur, ex quibus facile iniquum illud judicium de ſequiori ſexu fluit, quaſi *venenoſus* ſit, uti non modo tales fabulæ decantantur in confuſa illa atque veterum placitis conſona uteri accuſatione, ſed & in ſangvinis menſtrui, juxta paulo recentiorum opiniones, culpatione cui tot effectus pernicioſi adſcribuntur, ex quibus etiam illum notamus, quando variolarum & morbillorum genealogia, gratis tamen, ex eodem ſangvine menſtruo ducitur & ſupponitur: uti infirmitatem hujus ſententiæ deſignant *Mercurialis de Morb. Puer. Lib.* 1. *cap.* 2. *Stahlius Diſſ. De Variolis & Morbillis: De Hectica abſceſſuum*

in-

*internorum comite: conf. Zac. Lusit. de M.P. H. Lib. II. Hist. 3. Hœchstetterus Dec. 1. Cas. 9. & Bartholinus in Cista medica* omissis pluribus testimoniis: ita commonstravit *D. D. Præses* nuperrime editis Dissertationibus *De Anomaliis mensium in genere, & Anomaliis mensium convulsivis* hunc necessarium *consensum* morbidarum afflictionum in sequiori sexu, &excussit reliquos vel contradictorios vel superstitiosos, effictos vel non ingenue applicatos conceptus de ejusmodi morbis, tanquam in specimine, quo dignitas atque utilitas hujus combinationis morborum magis pateat: quo magis itaque fœminarum morbi intricati videntur, eo major solertia requiritur circa eorundem veram & fidam enodationem, ne in materialibus solum chimæris animus hæreat, & suppositiones suppositionibus accumulet, & nescias quot ac quantas virulentias in corpore fœminarum fingat & superstruat.

§. IX.

Et dum morbi quidam cum evidentibus, interdum etiam *solennibus excretionibus* decurrunt, alii vero in *alteratis motibus* tantum consistunt & sine singularibus evacuationibus desinunt, atque ita quasi per essentiam *discrepare* comparent, minime tamen *absolute* sejungi debent *molimina* ad excretionem tendentia &pertinentia ab ipsis *evacuationibus*, quali cõnubio utriusque speciei morbi potiuntur, dum morbi quidã licet nunquã in aliquam certã evacuationis speciem *excurrerint*, tamen cum eadem conjuncti sunt, & ad eandem constanter adhuc *collimant*: sicuti varia in praxi medica occurrunt subjecta quæ *coxendicum doloribus* laborant, (quos ipse *Hippocrates Lib. II. Prorrhet.* cum moliminibus hæmorrhagicis & quidem pressius *hæmorrhoidalibus* conjungit, quorum etiam reminiscitur *Illustris Stahlius in Progr. Historiam pathologicam affectuum cum Coxarum dolore symbolizantium Hippocraticam exhibente*) quæ *nunquam* fluxum hæmorrhoidalem experta sunt, licet in junioribus ætatibus frequentes *narium hæmorrhagias* subierint, ut ita coincidat, illud quod

*Hippocrates* l. c. dixit: *Fit autem hic morbus iis, quibus in pueritia & juventute ſanguis è naribus fluere ſolitus deſiit; proinde interrogandum eſt de ſanguinis eruptione, an in juventute facta fuerit. - - - & quibus hæmorrhoides fiant. edit. Lind.* §. 47. *text* 8 12. popterea tales ſpasmos ad *hæmorrhoidalem* ventilationem reſpicere, aſſeveramus, & cum negotio hæmorrhoidali arctum nexum ſive conſenſum tueri, indicamus: ſimile exemplar occurrit in cruciatibus *podagricis*, qui ob id quandoque *negantur* eſſe molimen *hæmorrhoidale*, quia ſæpe occurrunt podagrici, qui tamen *nunquam* fluxum hæmorrhoidalem perpeſſi ſunt: & licet hæmorrhoidalis eruptio *nunquam* contigerit aut ſucceſſerit, illud tamen adhuc demonſtrari debet, quod *motus* illi podagrici ad hanc eruptionem *plane non* tendant; nam hæc nulla eſt demonſtratio: quia hæmorrhoides nunquam fluxerunt: quo ipſo vero hoc loco indigitamus & præoccupamus ne morbi frivole *divellantur*, qui tamen conjuncti ſunt, neve in diverſitate *ſpeciei* & *exitus* abſolutus diſſenſus ſupponatur, cum *contentionis* excretoriæ cum *actualibus* eruptionibus & fluxibus ratione *formæ* & *ſcopi* optime conſentiant.

§. X.

Nunc ordo poſtulabit ut *ſpecialiori* ſtudio hunc *Morborum Conſenſum* exhibeamus & ſignificemus, atque in *ſpecimine* quodam ulteriorem hujus obſervationis illuſtrationem, explicationem & applicationem commendemus: Eſt itaque corpus animale extreme *corruptibile* ob *mixtionem* ſuam perquam infirmam, quam infirmitatem conciliat *diſſidium* inter principia conſtitutiva, *aquoſa* & *pingvia*, quorum priora proximum motus *inteſtini* fermentativi inſtrumentum materiale ſunt, quæ à motu *aeris* extrinſeco facile concitantur, & per illa primus impetus aut impulſus communicatur: *pinguia* vero principia ob *ſubtilitatem* ſuam hunc primum impulſum facile amplectuntur, & ſub eodem inteſtino motu reliquæ mixtionis *divulſioni* concitandæ inſerviunt: hæc diſſolutio ſibi relicta conſtituit *putrefactio-*

*ctionem*, quæ a statu & indole *vitalitatis* per essentiam *aliena* est, cū vita formaliter inferat *integritatē* corporis tam corruptibilis, & constantem *corruptionis* interceptionem atque *exclusionem*: dum vero hæc corruptio magis *fluidis* & simpliciter *mixtis*, quam solidis & quidem structis partibus imminet, ita officium vitale *primario* circa *fluida* conservanda occupatur; cum experientia doceat, quod quælibet corruptionis species solidis partibus ex corrumpentibus *fluidis* superveniat, & quod solidæ partes non ita citius corruptioni submittantur, si fluidæ substantiæ separantur, adeoque solidæ partes exsiccantur: inter singulos vero humores nullus citius & periculosius corruptioni subiacet, quam *Sanguis*, qui in facillimam cadaverosam putredinem præceps ruit, qualis putredo sese posthac repente per partes adhuc vivas dispergere & extendere, adeoque totum corpus intra brevissimum temporis ambitum putrefactioni & morti exponere solet, ut in tanta repentina & extrema calamitate circa salvationem corporis hic valeat quod *Hippocrates sect.* 8. *aph.* 6. dixit: *quæcunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat, quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat; quæ ignis non sanat incurabilia putare oportet* adeoque in extirpanda & removenda tali corruptione *Ferro* & *Igne* opus est: eapropter itaque in negotio vitali maxima cura de *Sanguine* geritur, ne huic damnum quoddam accidat.

§. XI.

Quo magis ordinate & convenienter hoc fiat, *avertuntur* partim illa pericula quæ sanguini *communiter* imminent; partim etiam reliqua, quæ plane *extraordinaria* sunt; vulgo quidem sanguinem disponit ad corruptionem *spissitudo* & *coagulatio*, quæ ex eadem oritur, ne itaque sanguis solito spissior reddatur, confert, quo sufficienter, libere, *efficaciter* & constanter *circuletur*, hoc ut fiat expedit, quo convenienti *motuum gradu* instruatur, & quo *viæ*, quas penetrat, non nimium *oppleantur*: Utrumque requisitum offendit *superflua* sanguinis quantitas seu *plenitudo* quam veteres

*plethoram* vocarunt, hæc enim non modo majores & *validiores* vires ſic dictas *motrices* poſtulat, & per conſequens frequentiores *enervationes* cauſatur, ſed & partes continentes magis *implet*, anguſtat atque onerat, iterumque per bonam conſequentiam robur ſic dictum partium, aut luculentius rem deſignando, tonum magis offendit; unde contingit, ut *enervatis* viribus & relaxatis atque *oppletis* partibus ſanguis ſpiſſior & ad *coagulationem* quin proximam ſtagnationem & plenariam ſtaſin indeque ad *corruptionem* pronior reddatur; ex eo cum ſana & ſimplici ratione apprime convenit, quo ſuſpecta & *inutilis* ſanguinis abundantia *removeatur*, tanto magis vero, quando per alias occaſionales cauſas diverſis commotionibus & *impulſibus* ſubjicitur, ut utrumque ex prædictis circumſtantiis tam *virium vigor*, quam *partium robur* eo certius lædatur: quantacunque itaque hæc ſit plethoræ conditio, ita inſuper notandum eſt, quod accumulatio talis ſanguinis valde *frequenter* occurrat, & in plurimis hominibus familiaris ſit, cum plurimi homines *plus* appetitui indulgeant, & propterea plus ingerant & comedant, quam egerunt & conſumunt; quod tanto evidentius in hominibus otioſæ & *ſedentariæ* vitæ deditis eluceſcit; minime tamen eximimus reliquos homines in laborioſa & operoſa vita ſubſiſtentibus, qui quantum in relatione ad ſua officia alimentorum aſſumant, ipſe conſpectus teſtatur, ex quo colligere licet, quod nihilominus *plus* congerant & *ingerant*, quam æque *neceſſe* habent: unde experiri & obſervare licet quanto numero & quam frequenter gens ruſtica & homines opificiarii tonſtrinam & balnearium ingrediantur, quo Scarificationi aut Venæ Sectioni ſe ſubmittant, qualem non modo ſine nocumento ſed & cum emolumento admittunt.

XII.

Cum itaque ſangvinis abundantia tot ac tantis periculoſorum & vitæ atque ſanitati maxime inimicorum ſucceſſuum effectibus fundamentum ſuppeditat, ita eandem ut *principalem* & *fundamentalem* numeroſorum morborum

cau-

causam salutamus, cum qua aliæ causæ non æquipollent, ratione usus solidi & nihil coacti pathologici tam *frequentis* ac *evidentis:* consentiunt vero cum *morbida* tali plethora *Hæmorrhagiæ* maxime *spontaneæ*, quarum ortus & successus neque *acrimonia* sangvinis, neque *ponderositate* ejusdem, neque confusa aut turbulenta *eructatione* & expressione nititur, sed finali & *salutari* respectu cum *plethora* cohæret: si enim plethora tantis *damnis* concitandis satisfacit, cum simplici & sana ratione convenit, quin in œconomia vitali consultum & necessarium est, quo ad *præoccupanda* periculosa & repentina nocumenta, & advertendam corruptionem à corpore corruptibili, sangvis *superfluus* convenienti & sufficienti quantitate *depleatur*, quo vires & partes liberentur; unde è diversis corporis regionibus atque partibus eliminatur sangvis *sincerus*, & à reliqua massa essentialiter nihil discrepans, siquidem hæmorrhagiarum *salubritas* luculentis & eminentibus testimoniis in *Narium hæmorrhagia, Mensium* & *Hæmorrhoidum* fluxu, elucescit; haud vero propterea reliquas hæmorrhagiarum species, quæ prioribus imprimis *cessantibus* superveniunt & subserviunt, ita penitus excludimus, sed de Hæmoptysi, Vomitu Cruento, Mictu cruento, & Varicum manatione testamur & observamus, quod *generalis* horum fluxuum respectus & status similem salubritatem contineat, licet ob locorum sive *partium* qualemcunque indispositionem per *accidens* interdum *alii* eventus emergant, quam quidem præcedens *destinatio* infert; quanquam varia testimonia practica supersunt, quæ talium *secundariarum* hæmorrhagiarum *innoxium* & salutarem statum comprobant & commendant, velut de Vomitu Cruento *Bartholinus Hist. Anat. Cent. 3. hist. 36. Rhodius Cent. 2. obs. 64. Hoechstetterus Decad. 2. Cas. 5. Salmuth. Cent. 2. obs. 3. A. N. C. Dec. I. An. I. obs. 95. Cent. 1. p. 194. append.* Neque à reliquis Hæmorrhagiis, quæ vulgo *passivo* successui adscribuntur, quales sunt fluxus *Lochiorum*, hæmorrhagiæ post *abortum*, hæmorrhagiæ *vulnerum*, magnæ cruentatio-

tiones *gingivarum*, ſicco pede digredimur, ſed de illis etiam aſſerimus, quod ſatis ſæpe cum ſtatu *plethorico* conſentiant, dum in ſubjectis plethoricis *largius* ſuccedunt, quod tamen ita abſolutè & quaſi per *neceſſitatem* fieri non debet, cum etiam *parcius* progredi, quin plane *ſubſiſtere* & repente retineri queant, ut propterea concurrentem *activam* i. e. deſtinatam & certo *fini* competentem ſangvinis eliminationem in quibusdam harum hæmorrhagiarum notandam & dijudicandam commendemus: minime vero hoc loco dignam æſtimamus illam trivialem objectionem, *genericam* hæmorrhagiarum ſalubritatem impugnantem, quod homines hæmorrhagiis *expirare* conſpiciantur, utpote quæ objectio *reſpectus* in hæmorrhagiarum negotio tenendos craſſius & crudius *confundit*.

XIII.

Porro cum Plethora & Hæmorrhagiis conſentiunt affectus *congeſtorii*, quorum magnus etiam numerus eſt, & quos haud facile aut ſolide ab obſtructionibus deducere aut ſpasmis adſcribere, aut à nervorum ſtimulationibus derivare licet: ſunt vero tales congeſtiones, *copioſiores* ſangvinis coacervationes ad diverſas regiones & partes ſive antehac ad *hæmorrhagias* applicatas, ſive in *confiniis* locorum hæmorrhagicorum exiſtentes, in quibus ſenſibiles diſtenſiones & oppletiones, circa quas vero ſubtiles & ſenſibiles ſtricturæ & tenſiones occurrunt: affirmamus vero de ejusmodi congeſtionibus, quod ſint *molimina hæmorrhagica* ad imminuendum ſangvinem *ſuperfluum* & moleſtum, ſive *præſentem* ſive *apparentem* & præſumtum directa: eapropter etiam obtingunt ejusmodi congeſtiones ſubjectis *plethoricis*, imprimis vero *commota* plethora præditis, diverſis talibus cauſis expoſitis, quæ ſangvinem ſuperfluum & *viribus* & *oeconomiæ* reliquæ vitali *moleſtum* & odioſum reddunt, ut ſunt multiplices animi commotiones *patheticæ*, vitia diætæ & regiminis; Porro eveniunt ſubjectis vel *hæmorrhagias* olim perpeſſis, vel reſpectu reliquarum circumſtantiarum

ad

ad easdem valde *proclivibus* : *levantur* vero congestiones tales, quando hæmorrhagiæ sufficienter & legitime imo tempestive exeunt aut *revertuntur*; confirmantur & exacerbantur iterum, quo magis & diutius hæmorrhagiæ *subsistunt*, aut quo magis plethora *fovetur*, *augetur*, & *commovetur*, ita ut propter has & adhuc alias animadversiones ex ipsa sola atque *simplici* sua indole *congestorii* affectus cum *hæmorrhagiis* & *plethora* simplicius conspirent: quando itaque illi *motus*, qui hæmorrhagias proseqvuntur, ad effectum suum non pertingunt, sed in sola *eluctatione* subsistunt, sangvinem quidem ad loca talia aut eorundem viciniam copiosius *affundunt*, sed non *effundunt*, tunc partes illæ à copioso sangvine distenduntur, & ex reliquo motuum augmento ad eundem finem ventilandi sangvinis tendente, dolores & sensationes, hisce affectibus competentes oriuntur: & quanquam actuales hæmorrhagias *congestorii* motus *solitò* comitari soleant, tamen hi neque *intensius* & acerbius progrediuntur, neque suo *scopo* orbantur, quin potius obtento efficaci eventu facilius remittunt.

XIV.

Sistunt sese ejusmodi *congestorii* motus in diversis speciebus & speciminibus velut in *capite* per varias cephalalgiarum species, per afflictiones ophtalmicas, otalgicas, odontalgicas, per molestias cephalalgico vertiginosas, per dolores nuchæ & colli, qvos vulgo catarrhis adscribunt, & nocturnis refrigerationibus adsignant, qui cum rhevmate conveniunt: annumeramus hisce, particulares rubores & exæstuationes faciei, nec non phlogoses, uti subjecta constant quæ post frequentium *hæmorrhagiarum narium* cessationem, ejusmodi periodicis & recurrentibus genarum ruboribus, intumescentiis, efflorescentiis & ardoribus subjiciuntur, ex qua animadversione obiter prominentem *consensum* varorum, Jonthorum & guttæ rosaceæ notamus & indicamus; accedunt congestiones & oppressiones *pectoris* asthmaticum statum præsentantes, imprimis post *mensium*

&

& *hæmorrhoidum* ſuppreſſionem, imminutionem, aut perturbationem ſuborientes: aut in ſubjectis ſenſibilibus & plethoricis pedum refrigerationes excipientes, vel Venæ Sectiones in brachio ſuſceptas ſub menſium aut hæmorrhoidum firma occluſione, intenſius inſequentes: accenſemus congeſtiones ad *ventriculum*, *Splenem* & *Hepar*, cum vomitu cruento colludentes & hypochondriacis atque hyſtericis pathematibus interdum ſeſe conjungentes, & affectus cardialgicos, ſpleneticos, hepaticos, quin ipſius Ventriculi & conſpirantis negotii circa appetitum & concoctionem occupati, qui ſæpe ſatis male atoniæ ventriculi aut nervorum conſtrictioni, neſcias quo referendæ, imputantur, & per remedia roborantia atque ſtomachica vel atoniæ qualitercunque dicata, graviter & κατ᾽ ἄνθρωπον *exacerbantur*: ſpectant huc congeſtiones ad *Renes*, quæ præter internos dolores lumbares, adhuc diverſis urinæ vitiis anſam præbent, maxime vero ardoribus, ſed quæ ſatis ſæpe *fruſtranea* ſpeculatione calculoſis actualibus ſchematibus annumerantur, & per illa remedia quæ vel magis vel minus calculo reſiſtere deberent, *nihil* levantur, quin potius exacerbantur, per craſſam æquivocam tractationem obruuntur & compeſcuntur: occurrunt etiam tales congeſtiones ad *inteſtina*, quæ tunc cum negotio *hæmorrhoidali* conſpirant, & internis ardoribus, anotericis flatulentiis, torſionibus, angoribus, alvi obſtructionibus & doloribus internis multam anſam præbent: qualium internarum afflictionum ex hoc tamen *conſenſu* firmiter & ingenuè pendentium, cauſæ, ſatis ſæpè, ſecundum communem cauſas conquirendi morem, ſcopis & rutabulis ex omnium refugiorum latebris corraduntur, ut nullus inde nexus emineat.

XV.

Con firmat harum *congeſtionum* conſenſum cum *hæmorrhagiis* & per has cum *plethora*, non infimæ dignitatis circumſtantia illa, quæ ex ipſa genuina morborum *Hiſtoria* eluceſcit, quomodo videlicet congeſtiones quoad diverſita-

ta-

tatem regionum & locorum quæ occupant, diſcrepent per *ætates*, neque confuſe aut indiſcretim quaslibet annorum periodos corripiant: & quemadmodum hæmorrhagiæ capitis *pueritiæ* & adoleſcentiæ ætatem communiter invadunt, ita *congeſtiones* capitis familiariter in *hanc periodum* incidunt, qua nimirum primitias ſuas capeſſere ſolent, licet dein in adultiores ætates progredi queant; & ſicuti *pectoris* hæmorrhagiæ *juventutis* tempora ingrediuntur, ita congeſtoriæ commotiones *pectus* invadentes *eandem* ætatem concernunt: quod de reliquis hæmorrhagiis & congeſtionibus tanquam moliminibus hæmorrhagicis valet: cujus conſiderationis fundamenta *Celeberrimus D. D. Stahlius in Diſp. de Fundamentis morb. ætatum*, *de Decubitu Humorum & in Sciagraphia Pathologiæ* quin ſparſim alibi ſufficienter & ſolide expoſuit; prout contra *hæmorrhagiæ* hiſce ætatibus *ſuccedentes*, congeſtiones prædictas *avertunt*, ne irruant, quin ſæpe ſatis ſolvuntur & liberantur eædem congeſtiones, ſi *hæmorrhagiæ* tales tempeſtivè *revertuntur*, uti in negotio hæmorrhagiarum Narium, Menſium & hæmorrhoidum abunde demonſtrari poſſet: neque obliteranda erit illa obſervatio, quanto effectu atque fructu non modo *plethora* ſuſpecta *imminui*, ſed & *hæmorrhagiæ* & *congeſtoriæ* commotiones, certis ætatibus propriæ præoccupari, *mitigari* & coerceri queant, quando tempeſtivè *artificiales* ſanguinis depletiones inſtituuntur, & ſedulo, attamen *methodicè*, repetuntur; ex quo argumento denuo commonſtramus veritatem hujus *conſenſus*, quem hoc loco notamus: qua occaſione adhuc attentæ obſervationi commendamus, practicam illam circumſtantiam, quando motus aut fluxus *hæmorrhoidales* perturbatos vel repreſſos, affectus aſthmatici, vertiginoſi, aut eventus apoplectici excipiunt: id quod imprimis obtingit in ſubjectis, quibus in *junioribus* ætatibus ſanguis è *naribus* copioſè & frequenter *fluere* ſuevit; quando itaque hujus hæmorrhagiæ ceſſationem poſt aliquam temporis moram hæmorrhoidales illi motus & apparatus exceperunt, qui qua-

D liter

litercunque cohibiti fuerant, tunc motus eo revertuntur, unde venerant, & è *superioribus* locis per congestoria molimina exitum quærunt, quorum *consectarium* dein prædicti affectus esse & fieri solent, qui perinde cum *Congestionibus*, *Hæmorrhagia* & *Plethora* consentiunt.

XVI.

Quando vero sanguis ad certa loca *congeritur*, ut excernatur, evenit interdum ut ob copiam *seri* mucilaginosi fluidioris, massæ sanguineæ interagitati, sub iisdem congestionibus & diuturnioribus detentionibus sanguinis in certis regionibus, *secessiones* tales serosæ & mucilaginosæ ad diversas partes *glandulosas* & *cribrosas* superveniant, & *effectus serosi*, commotiones *sanguineas* excipiant, unde sic dicti affectus *catarrhales* cum *hæmorrhagiis* & *plethora* consensum suum tuentur: quo loco non advertimus vulgares illas & frigidas oblocutiones, è diversitate *eventuum* dissensum urgentes, quoniam indicato modo ratio fiendi, plana simplex & non coacta est: etenim si circa aliquam partem *diutius* detinetur, ut tam promte & *tempestive* haud *refluat*, contingit interea ut subtilior & *fluidior* illa substantia serosa in vicinas partes sese *separet*, & ex iisdem denique, ut seorsim collecta, excernatur: quanquam etiam eveniat, ut in hisce locis aliquo tempore obhærescens, denuo subtiliorem substantiam amittat, & posthac spissiorem consistentiam induat, quæ nova humectatione & resolutione ad promptam excretionem opus habet: tali ratione cum congestionibus hæmorrhagiis & plethora consentiunt Coryza, Gravedo, Lippitudo, manationes ex auribus, tumores glandularum colli, Parotides, Tussis, Asthma humidum, Fluxus Hepaticus, excretiones mucilaginosæ hæmorrhoidales, & quæ sunt similes tales afflictiones, quarum causas sæpesatis frustra in nudis materiis peccantibus quærimus, cum culpa hujus consensus non in *materialibus* circumstantiis, sed in indole efficacia & connexione *motus* hæreat: quo loco vero assidue reliquarum causarum maxime *impulsivarum* & *occasionalium* sive ab *extra*

*tra* five ab *intra* provenientium concurfus conciliandi funt; fed quæ *impulfivæ* caufæ pofthac cum *antecedenti* & *formali* improvide fæpe confunduntur, quæ confufio mox anfam præbet, quo infelices illæ conclufiones formentur, ergo hi affectus ab obftructione aut nudo infarctu catharrhalium humorum, à debilitate partium five atonia, à ftimulatione & acrimonia feri aut fanguinis pendent: pluribus hanc connexionem eventuum *feroforum* cum congeftionibus *fanguineis* expofuit *Excell. D.D. Stablius Diff. de Seceffionibus Humorum, & Decubitu Humorum.*

§. XVII.

Quod fi vero in certis fubjectis per qualemcunque caufam fanguis fpiffior redditus fuerit, & congeftiones tales in iisdem oriuntur, tunc contingit, ut loco *excretionum* fanguinearum, in diverfis partibus *oppletiones*, infarctus, intumefcentiæ, *ftagnationes*, fcirrhi, quin ftafes, *inflammatiotiones*, *corruptiones*, five *ulcerofæ* five *fphacelofæ*, hecticæ &c. oriantur: unde cum præcedentibus congeftoriis moliminibus confentiunt, infarctus capitis, & ex illo imprimis contumaciter & repente fiente, exiliorum Venarum dilacerationes, extravafationes fanguinis, affectus apoplectici, varicofæ vaforum fanguiferorum intumefcentiæ, & concurrentes affectus vertiginofi & foporofi, pulmonum obfeffiones, fcirrhi, vomica, phthifis, polypi cordis, & quæ propter fanguinis fpiffitudinem & multitudinem fufcipitur, palpitatio cordis, anguftiæ præcordiales, cardialgiæ, fcirrhi hepatis & fplenis, affectus hypochondriaci aliique varii morbi, quorum confenfum cum plethora hæmorrhagiis & motibus hæmorrhagicis merito annotamus & commendamus: ex quo poftea colligere licet, quomodo iufto tempore & debito ordine inftitutæ *artificiales* fanguinis ventilationes hisce affectibus conveniant & proficiant, ut opus haud fit, ad alias fcrupulofas & intricatas caufas confugiendi, aut confufe de iisdem morbis differendi: fed dum hæc de morborum confenfu notamus, *minime* adftruimus quafi multi prædicto-

rum morborum cum *nulla alia* causa consentire possint, & pro diversitate *occasionum* etiam soleant, cum tantum hoc loco significemus, quantus morborum *consensus* ex *una causa* profluere soleat, & quomodo ex illa fundamentali causa & consensu illo morbi tales *legitime* tractari debeant; & ita in præsenti consideratione *sine* molimine hæmorrhagico *spissior* sanguis ex aliis causis ad inferendas suspectas oppletiones, stagnationes & stases disponere solet, licet *congestiones* illæ aut contentiones hæmorrhagicæ *sæpius* quam alia causa quælibet in sua specie ad eosdem contribuant: unde illas vulgares deprædicationes obstructionum nude *passivarum* & subordinandarum simplicium resolutionum & reserationum præoccupamus, quæ quantum communiter sine prioris respectus combinatione valeant, nimirum, qua fortuna *sine ventilatione* sanguinis succedant, experientia quotidiana erit consulenda: ex quo prærogativam consensus a nobis commendati tum in Theoria tum Praxi Medica breviter indigitamus.

XVIII.

Ducit nos ordo præsentis tractationis ut consensum *Rhevmaticorum* affectuum cum *Hæmorrhagiis* & *Plethora* commonstremus, & hac ratione indicemus, quod affectus illi motibus & *moliminibus hæmorrhagicis* accenseri debeant: & ita ex *Historia* Rhevmatismi fluit, quod subjecta communiter *plethorica* corripiat, quod sequatur *hæmorrhagias* vel cessantes, vel impeditius erumpentes, vel insufficienter fluentes, vel perturbatas, quod concurrat cum aliis *commotionibus* hæmorrhagicis, quod sese cum repentina & pertinaci humorum *congestione*, indeque contingente horum *stagnatione* exserat, unde tensio, pressio, calor, ardor, imo tumor ortum trahunt: quod *plethoram* immoderatius *commotam* excipiat, & similitudinem cum illis simplicioribus effectibus habeat, quales è commotionibus fortioribus corporis in subjectis *sangvineo-plethoricis* occurrere solent, quod ex reliquis illis causis & *occasionibus* provocari

so-

ſoleat, quæ ad plethoram *exagitandam* ſatisfaciunt, quod poſt hæmorrhagias debite *redeuntes* & ſuccedentes aut *artificiales* ſangvinis exonerationes & ſecure & efficaciter mitigetur, quod hæmorrhagiis *contumaciùs* ſubſiſtentibus impetuoſius etiam ſupervenire ſoleat, quod etiam circa invaſiones locorum & *regionum* diſcrepet, uti hæmorrhagiæ per *ætates* differunt, ita ut Rhevmatiſmi in *junioribus* ſubjectis *ſuperiora*, in *adultioribus inferiora* loca, qualem ordinem hæmorrhagiæ ſervant, invehant & aggrediantur: & hæ ſunt principaliores circumſtantiæ ex quibus *Rhevmatiſmi* conſenſum cum *Hæmorrhagiis* & *Plethora* commonſtramus, eundemque *congeſtoriis* moliminibus hæmorrhagicis annumeramus. Poſito itaque hoc fundamento, facile colligere eſt, quo fundamento nitatur hujus affectus vera & *rationabilis* methodus medendi, unde etiam animus avertitur à nudis materiarum accuſationibus & tantarum qualitatum materialium figmentis atque vanis earundem alterationibus & *correctionibus*. Quod ipſum, uti de Rhevmatiſmo valet, ita ad *Febrem Rhevmaticam* dextrè & prudenter applicandum eſt: quanquam hæc febris non aliter occupare ſolet, niſi ad certum locum *copioſior* humor vehementius advehatur & congeratur, adeoque *ſenſus* doloris *exquiſitior* excitetur aut *ſtagnatio* latior & *diffuſior* generetur, ut proinde inflammatorii quid conjungatur, quod ſchema magis de *phlegmonodea* aut *eryſipelatodea* quam apoſtematodea indole eſt: minime tamen abſolute ab hujus febrilis commotionis concurſu primum, ſimplex atque verum rhevmatiſmorum fundamentum diſcernendum eſt.

## XIX.

Diſponunt præterea tales *congeſtiones*, de quibus nobis huc usque ſermo fuit, quarum prima ſimplex deſtinatio *emotionem* ſuperflui ſangvinis concernebat, ad ſingulares & *luxurioſas* quasdam *concretiones*, velut ſunt *membranaceæ*, *verrucoſæ* & *fungoſæ*, quales ſunt pelliculæ oculis accreſcentes, verrucæ ſangviferæ rubentes, ſarcomata, deformes

protuberantiæ, carnoso-fungoso-vasculosæ, nares genas & confinia aurium occupantes, polypi tam in naribus, quam corde prodeuntes: quales epigeneses aliquo modo *offensæ* læsæ vel proritatæ, mox in *prodigas* sangvinis profusiones degenerant, vel *inflammatoriis*, pertinacissimis commotionibus urgentur, ut mox *cacoethea* corruptio vel cancrosa vel sphacelosa vel fistulosa vel alia maligna accidat, cui difficulter dein resistere licet, quia perpetuus & pertinax humorum *affluxus* aut consveta *congestio* sufficientem affecti loci mundificationem, & inquinamenti atque incitamenti illius suspecti extirpationem, impedit & retardat, malum vero semel introductum magis sustentat, fovet & promovet: quod imprimis valet de illis protuberantiis, quæ *externis* artificiis subjacent, ubi sæpe videre licet, quam parva initia in ejusmodi excrescentiis, de sangvinis *congestione* adhuc participantibus, maximorum damnorum cum detrimento vitæ aliquando exeuntium origines existant aut *consensum* suum cum iisdem exhibeant. Ex eodem fundamento patet etiam ratio & consideratio, quomodo diversis superficialibus, aut etiam internis corruptionibus *ulcerosis*, opportunæ & dextræ *missiones* sangvinis proficiant, licet *directe* ad ulceris emendationem & consolidationem nihil conferant, *remotive* vero succurrant, dum *affluxus* & congestiones sangvinis præoccupant, ne ulceratio exacerbetur: inde ex principiis sanæ rationis & solidæ experientiæ colligere licet, quî Venæ Sectio *perita* in phthisi & hectica non exiguum interdum emolumentum, afferat, & quam iniquæ atque effœminatæ sint illæ formulæ, quasi sangvis pro phthisicis & hecticis aliunde mercede conduci debeat. Meretur hoc loco notari quod *Rhases* observavit & allegavit, dum dicit, *erat in capite & facie cujusdam tinea rufa, supra quam suspendi feci sangvisugam & sanata fuit penitus: confer. Zacutus Lusitanus Med. Princ. Hist. Lib. I. Hist. IV. cum observationibus.*

XX.

Ejusmodi animadversionis & sollicitæ disquisitionis spe-

ſpecimen eſt, quando *evacuationes ſangvinis* ſive artificiales ſive ſpontaneas aut *omiſſas* aut *ſuppreſſas* non modo interdum internæ, ſed & aliquando externæ *ulcerationes* excipiunt, quas propterea in hunc ſolennem morborum *conſenſum* & conſecutionem ducimus: quando v.g. poſt narium hæmorrhagias, ozæna aut ulcera colli, ex glandulis tumefactis, aut tonſillis ſuppuratis vel parotidibus inflammatis & maturatis: poſt hæmoptyſin, phthiſis, aut ex moliminibus hæmoptyicis ulcus pulmonum, poſt menſium & hæmorrhoidum ſuppreſſionem hectica cum interno abſceſſu ſtipata (& quæ adhuc rariores obſervationes allegari poſſent) oriuntur: imprimis vero quando poſt menſium turbas, imminutiones aut ſuppreſſiones, ulcera in pedibus emergunt; in quo phænomeno vulgo ſangvinis *dyſcraſia* accuſari ſolet, de qua vero, mirari licet, cur demum in *craſſas externas* partes, & non potius in *interiores teneriores* operari debeat, & multo ſane acumine demonſtrandum erit, an in externis partibus lateant illæ tendiculæ, quibus ſeſe implicare debeat illa ſuſpecta cacoſis: nos potius bona fide aſſeveramus, quod ejusmodi ulcera *nitantur*, ſuppreſſis Menſibus, neque citius & ſecurius curari queant, niſi reſtitutis Menſibus, alias ſi unum ulcus ogglutinatur, alterum mox iterum erumpit, & ſic cura ſeſe prolongabit, ut ajunt in infinitum: deducimus itaque ex ratione & experientia convicti & confirmati ejusmodi ulcerationes, à *particularibus* illis humorum *translationibus*, & congeſtoriis commotionibus, per inferiores alias regiones *exitum* quærentibus & urgentibus, atque *inſolito* plane modo & loco menſes proſequentibus (de qua re conferantur Scriptores *inſolitas* menſium *vias* & *ſpecies* recenſentes) evenit vero ſub ejusmodi particularibus translationibus ut per *accidens* tales effectus atque eventus emergant, uti in ſuperioribus de ſeceſſionibus ſeroſis ex moliminibus hæmorrhagicis provenientibus dictum fuit, quales exitus *ſeroſi* loco *ſangvineorum* aſſumuntur, tractantur & conſervantur: Æquale notatu dignum exemplar oc-

cur-

currit in hæmorrhoidibus *ſerpiginoſis*, puſtuloſis, *ulceraſcentibus* è motibus hæmorrhoidalibus genitis, nunc vero in tali excretionis ſpecie ſubſiſtentibus & ſatis diu cum multa moleſtia & anomalico motuum hæmorrhoidalium ſucceſſu ſubjecta ſua detinentibus. Quæ phænomena vero cum apparatibus hæmorrhagicis & plethora connectimus, & ad hanc connexionem medicam tractationem applicamus: ita eveniet, ut *revocatis* vel menſibus vel hæmorrhoidali fluxu ſubalterni illi effectus multum remittant, aut penitus ceſſent: quale quid contra ſperare non licebit, quamdiu concurrentes motus hæmorrhagici plethoræ ventilationi dicati non recte ordinantur, aut condigne promoventur.

XXI.

In hunc conſenſum morborum ducimus porro *Spasmos* & de iisdem affirmamus, quod ſint acerbiora, intenſiora & impatientiora *molimina hæmorrhagica* quam aſſertionem inter multas alias, ſequentes & ex ipſa genuina horum affectuum Hiſtoria profluentes circumſtantiæ comprobant: eveniunt enim Spaſmi ſubjectis non modo ad *generandam* plethoram perquam habilibus quæ vulgo *ſangvinei* Temperamenti eſſe dicuntur & obſervantur, ſed & illis quibus communiſſime *plethora* evidens præſto eſt: deinde corripiunt homines, qui cum multiplicibus internis & externis cauſis præſentem ſuam plethoram afficiunt, *commovent* & impellunt, quo animi patheticas commotiones, & diætæ atque regiminis irregularitates referimus: *antecedunt* porro ſpasmos vel actuales *hæmorrhagiæ*, imprimis narium, menſium aut hæmorrhoidum, (non excluſis adſvetis *artificialibus* ſangvinis ſubtractionibus, quæ vero iterum omiſſæ fuerant,) vel *molimina* hæmorrhagica, *congeſtoria*, quæ tandem & cum mora in *perfectos* ſpasmos erumpunt: *levantur* ſpaſmi per hæmorrhagias debitas tempeſtivè *recurrentes*, aut iuſtas alias *ventilationes* ſanguinis; *exacerbantur* vero per illa regimina & medicamina, quæ *plethoram* afficiunt & *commovent*, ut & quæ hæmorrhagias magis deobſtruunt & pertur-

turbant: variant itidem ſpaſmi per *ætates*, & id quidem communius (ni ſpecialisſimæ, rariores & ex hæreditate fluentes cauſæ intercedant:) adeoque hanc circumſtantiam cum *hæmorrhagiis* & *congeſtionibus* communem habent, ſiquidem *ſuperiorum* partium ſpasmi, *juniores* periodos, *inferiorum* vero, *adultiores* invadunt: degenerant denique ſpasmi in *conſuetudinem*, uti hæmorrhagiæ & congeſtoriæ commotiones ſolent: Quemadmodum itaque juxta ſimplicem Hiſtoriam *ſpasmodici* affectus cum *plethora*, *hæmorrhagiis* & *congeſtionibus* conſentiunt, ita ratio ſana hunc conſenſum eo magis obfirmat: enimvero ad *imminuendam* moleſtam & ſuſpectam ſanguinis abundantiam requiruntur *congruæ* congeſtiones ſanguinis ad apta loca excretoria, ut per eadem ſanguis copioſius collectus, nunc etiam ſuperficiales partes turgefaciens, erumpat: quotiescunque vero & qualitercunque hæc eruptio *impeditur*, eo magis neceſſe eſt, ut *augeantur* motus, quales pro hoc negotio idonei ſunt *congeſtorii*, inde oriuntur acerbiores, ſenſibiliores & manifeſtiores congeſtiones: quo magis vero hoc impedimentum *increbeſcit*, & aliæ offenſiones ſuperveniunt, eo magis adhuc illi motus, quibus congeſtiones formantur, quales ſunt *Tonici*, *augentur*; quale augmentum proinde in actuales *ſpaſmos* tranſit.

§. XXII.

Adeoque cum prioribus *fundamentalibus* affectibus conſentiunt, Arthritis, quæ ad anotericas hæmorrhagias reſpicit, Malum Iſchiadicum, Nephritis ſpaſtica ſimplicior, gonagra, podagra, colica, (ubi imprimis de *hæmorrhoidali* loquimur) malum hypochondriacum, quæ ſingula pathemata ad hæmorrhoidalem fluxum contendunt: quin dantur etiam *convulſivi* motus, qui in *ſummo* Toni augmento conſiſtunt, quippe qui cum plenitudine ſangvinis interdum cohærent; quo loco præcipuè notamus convulſivas illas Menſium promotiones, quarum in Diſputatione citata *D. D. Præſidis de Menſium Anomaliis convulſivis* mentio facta fuit, omisſis rarioribus obſervationibus: & quemadmodum *plenitudo*

ſanguinis, *ſpiſſitudinem* ejusdem cauſari ſolet, ita interdum *convulſivi* motus ſuperveniunt, *attenuationem*, promotionem & emotionem ſanguinis ſimul concernentes, quale exemplum Epilepſiæ ob ſpiſſitudinem ſanguinis allegat *Illuſtris Stahlius in Pathologia ſua.* Non minus cum abundantia ſanguinis & hæmorrhagiis conſentiunt *Deliria*, ſive phrenitis ſive Melancholia, ſive Mania, quorum complicatio cum *ſuppreſſis* iterumque *molientibus* hæmorrhagiis atque immanibus translationibus intra caput, diverſis imo multiplicibus exemplis & obſervationibus practicis ab attentis Medicis recenſetur; quare *Hippocrates de Judicationibus* §. 10. *text.* 9. dicit: *atrabilariis* τοῖς μελαγχολικοῖς *cum phrenitide occupatis, ſi hæmorrhoides oboriantur, bonum eſt: conf. Sect. VI. aph.* 11. *& aph.* 21. *in maniacis ſupervenientibus varicibus aut hæmorrhoidibus, inſaniæ ſolutio fit:* Conferatur Hiſtoria quam *Galenus allegat Lib.* 3. *de hum. com.* 26. & quam *Zacut. Luſitanus* exponit *Med. Princ. Hiſt. Lib. I. Hiſt.* 39. *De Melancholia ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus orta, annua evacuatione curata.* Neque certo reſpectu ab hoc *conſenſu* ſeparamus affectus *ſoporoſos*, qui interdum ex ejusmodi *congeſtionibus* contumacioribus intra caput ortum traxerunt, unde vel inflammatorii & ſuppuratorii denique Lethargici effectus ſupervenerunt, vel actuales cerebri *corruptiones*, aut *varicoſæ* oppletiones vaſorum ſanguiferorum, vel *ſeceſſiones* pituitoſæ intra cerebri cavitates ſive ventriculos, ut reliqui ſoporoſi affectus acceſſerint: ubi tamen iterum monemus & præoccupamus, quod videlicet non *perpetuo* ſoporoſi affectus de hoc conſenſu participent; propterea vero ex hoc conſenſu non *abſolute* excludendi ſunt, quin eundem illuſtrare & commendare adjuvent.

XXIII.

Notamus hoc ordine conſenſum illum plane *paradoxum* ſed ſane *endoxum*, inter vitia motuum *defectiva* & plethoram, hæmorrhagias & molimina hæmorrhagica: ex ejusmodi vero motuum defectibus ſeligimus *Apoplexiam*

*xiam*, quæ ſanguinea audit, & *Paralyſin*: illa enim prout ſimplicior *hiſtoricus* conſpectus exhibet, evenit ſubjectis *eminenter* ut plurimum plethoricis, & adhuc in ejusmodi vitæ genere degentibus in quo partim ob *plenam* diætam, *partim* ob multam *ſedentariam* vitam ſanguis magis *augetur*; proinde obtingit illis, quæ antehac *hæmorrhagias* ſpontaneas ſive artificiales ſanguinis imminutiones ſubierunt, ſed easdem iterum amiſerunt, vel omiſerunt; quæ continuatas *congeſtiones* ſanguinis intra caput experiuntur, quæ ejusmodi cauſis ad commotionem plethoræ & promotionem moliminum hæmorrhagicorum diſponentibus, frequentius ſe ſubmittunt, quæ tam diu à quibuslibet congeſtoriis commotionibus & metu apoplexiæ immunia fuerunt, quam diu ſanguinis depletiones convenientes ſucceſſerunt; quibus ſingulis collectis per rationem ſanam concludimus, quod apoplexia talis, ſit conſectarium prægreſſæ *contumacioris* congeſtionis ſanguinis in *interiorem* regionem capitis, nimirum intra cerebrum, ad ſcopum *evacuationis* ſanguineæ promovendæ, directæ aut collineantis, quæ congeſtio vero loco ſimplicioris ſui effectus, per accidens in disruptionem teneriorum vaſculorum ſanguiferorum delabitur, ut facta *extravaſatione* & profuſione ſanguinis intra cerebrum, hæc motuum & ſenſuum abolitio ſuperveniat: quo ordine itaque apoplexia cum plethora, hæmorrhagiis & moliminibus hæmorrhagicis conſentit. Non minor conſenſus occurrit inter *Paralyſin* & prædictos fundamentales affectus; quando videlicet per *frequentiores* congeſtiones, aut rhevmatiſmos, aut ſpaſticas commotiones ſanguis copioſius in unam aut alteram regionem translatus fuit, qui motus vero nunquam ad genuinum ſuum finem promoti, ſed variis irritis artificiis & regiminibus offenſi, exacerbati aut perturbati fuerant, evenit tandem ut propter tam diuturnam *fruſtraneam* eluctationem, & frequentius inductam commotionem & offenſionem in

 lo-

loco hucusque affecto motus potius omittantur, absque ulla nervorum obstructione, & influxus Spirituum interceptione, quas phantasias otiosis ingeniis relinquimus: juxta hanc enim nostram animadversionem ipsa *Historia practica* consentit, dum inter reliquas paralyseos invasiones, etiam præsentia *plethoræ* in subjecto, dispositio & prægressa adsuefactio ad *hæmorrhagias*, prægressæ *congestoriæ* & *spasmodicæ* commotiones observari possunt:

§. XXIV.

Ad hunc morborum consensum recte describendum pertinet porro *Inflammatio*, quæ quantum cum *plethora*, cum *hæmorrhagiis* & moliminibus hæmorrhagicis consentiat, ipsa Historia Inflammationis edocet: observantur vero inflammationibus corripi subjecta plurimum de *copioso* sanguine participantia, ubi vero minime *nuda* plenitudo accusanda est, alias plethorici homines, *indiscretim* & omni tempore inflammationibus corripi deberent, quia abundantia illa omni tempore obstructionibus introducendis *materialiter* satisfaceret, quod vero non fit; neque *spissus* tantum sanguis inflammationibus provocandis *satisfacit*, cum in *melancholicis* subjectis, *quotidiana* esse deberet inflammatio; quod tamen historiæ medicæ repugnat: unde quidem plethoram alio quam nude *physico* respectu cum Inflammatione consentire asserimus: disponit interea talis sanguinis abundantia ut *antecedens* causa ad futuras inflammationes: præcipue quidem in subjectis vel *hæmorrhagiis* antehac obnoxiis, vel easdem adhuc licet *insufficienter*, suscipientibus vel in illas nimium propendentibus aut *artificialibus* sanguinis missionibus olim adsuetis, utplurimum vero adhuc talibus causis, occasionibus & regiminibus addictis, quæ ad *impellendam* plethoram & excitandam hæmorrhagiam contribuunt, quo præcipue referimus consvetas *congestiones*, quæ vinculum constituunt, per quod *inflammationes* cum *hæmorrhagiis* consentiunt; si itaque per motus tales congestorios *impetuosius* & fortius sanguis

ad

ad regionem aliquam advehitur: ut ex eadem efficacius ejiciatur, tunc ex *vehementi* illa & quasi repentina translatione & ingurgitatione contingit, ut sanguis in *stagnationem* diffusiorem & profundiorem aut plenariam *stasin* degeneret, sub quo statu, quia *ultima* calamitas magis *urget*, prior scopus promovendæ hæmorrhagiæ *amittitur*, & *alter* finis aquirendæ *resolutionis* & præoccupationis putridæ corruptionis metuendæ assumitur & promovetur, dum præsentibus hisce circumstantiis magis salutare & necessarium existit, quo *putredo* avertatur, quando per *accidens* subnata stagnatio aut stasis denuo inflammatoriis motibus reseratur & dissolvitur.

§. XXV.

Exserunt sese ejusmodi *specimina* Consensuum inter *inflammationes* & *molimina hæmorrhagica*, quando in capite parotideū, tonsillarum, oculorum & aurium inflammationes, in febribus vero phrenitides & anginæ oriuntur & memorabilis est historia quam allegat *Zacut. Lusit. loc. cit. nim. M. P. H. Lib. I. Hist. IV. Obs. 5. de phrenitide ex lochiis retentis, per hirudines internæ uteri parti applicatas, curata:* utpote quæ inflammationes, cum *narium hæmorrhagia* affinitatem suam habent; quare nares tempestive & sufficienter sangvinem fundentes, non modo congestiones capitis sangvineas sed & inflammationes præoccupant: quem nexum præterea habent angina, peripnevmonia, pleuritis cum hæmoptysi; aut inflammatio Lienis, Hepatis & Ventriculi cum Vomitu cruento, aut nephritis simplex, inflammatio intestinorum cum hæmorrhoidibus: modo experientia medica consulatur: ita facile liqvebit consensus, quem nos notamus, & fundamentum nostræ deductionis eo magis fidum atque perspicuum erit. Meretur etiam hæc observatio historico-practica sollicite conciliari cum *symptomaticis* inflammationum originibus, quando v. g. molimina hæmorrhagica sine *congestoria*, sive *spastica*, sive *rhevmatica*, per calidiora regimina & medicamina impelluntur & exacerbantur, ut tale schema

morbi mutetur in *actualem* inflammationem, quale quid contingit quando in congestionibus sangvineis pectus occupantibus adhibentur remedia volatilia, oleosa, concentrata, unde affectus & successus pleuritici, anginodei, peripneumoniaci excitantur, aut quando in doloribus lumbaribus aut congestionibus ad & circa renes transeuntibus ordinantur oleosa, juniperina, therebinthinata, succinata, anisata, aut salina volatilia, unde actuales renum inflammationes, suppurationes & ulcerationes oriuntur: vel quando in Colica hæmorrhoidali usurpantur calida & acria stomachica, flatibus dissipandis dicata, aut volatilia & spirituosa, unde non modo inflammatio sed & gangræna & sphacelus ortum trahunt: quo adjungimus parallelam illam observationem plane practicam & â speculatione admodum alienam, quando in subjectis plethoricis, junioribus, narium hæmorrhagiis vel adsvefactis, vel ad easdem proclivibus, nunc acute febricitantibus ex *inopportuna* Venæ sectione, phrenitis, aut simpliciora deliria concitantur: quo documento iterum per aliam viam consensum inflammationum cum plethora, & moliminibus hæmorrhagicis commonstramus.

§. XXVI.

Quemadmodum hactenus multiplices morbos recensuimus, qui simplicem suum consensum significant, ita minime principalissimum & dignissimum Morbum oblivioni tradere, aut ejus harmoniam præterire placet, loquimur vero de *Febre*, quæ quantum, quoties & quando cum *plethora* & negotio *hæmorrhagiarum* conspiret, notabimus: inter alias vero febrium species imprimis duæ occurrunt, quæ *essentialiter*, simpliciter & primario cum *abundantia* sangvinis ejusque utili & consulta *imminutione* consentiunt; indigitamus hoc nomine *Ephemeram* & deinde *Synocham* simplicem, quam posteriorem propterea sangvineam appellare sveverunt: utraque vero sangvinis *quantitatem* abundantem & non illius *qualitatem* vitiosam & inquinatam

tam concernit, licet interdum prior harum febrium ex ejusmodi occasionibus provocetur, quæ cum nimia sangvinis quantitate consentire haud videntur: est vero harum febrium illa *genuina* & ingenua indoles, ut homines sangvine *abundantes* aggrediantur, & quidem iterum tales, qui ad *hæmorrhagias* vel proclives vel antehac adsveti fuerant; non minus etiam illæ febres ejusmodi *impulsus* sequuntur, qui sangvini *commovendo*, turgefaciendo, & *hæmorrhagias* incitando satisfaciunt: præterea ordo, *tempus* & *methodus* harum febrium ita habilis deprehenditur, prout sangvinis *imminutioni* simplici modo quadrat, quemadmodum etiam eventus harum febrium nihil perturbati, sangvinis sinceram evacuationem per *hæmorrhagiam narium*, aut superflui sangvinis consumtionem atque conversionem in *serum*, hujusque copiosam excretionem per *sudorem* largum & facilem inferunt, ubique vero ad *plethoram* curandam & *ventilandam* respiciunt, ut per actuales sangvinis, qua talis, excretiones succedat, partim immutati sangvinis quantitas satis copiosa atque sufficiens eliminetur, & eo ipso simpliciter & directe harum febrium consensus cum plethora & hæmorrhagiarum negotio comprobetur: sicut etiam imprimis in posteriori harum febrium interdum evenit, ut propter symptoma *anginæ* concursantis hic *consensus* multiplicetur, ut non modo respectus plethoræ, & ejus imminutionis, nec non febris, sed & *inflammationis*, cum singulis reliquis circumstantiis conspirantis haberi debeat, in quantum hæc prægressam immoderatiorem congestionem sangvinis, ad superiores regiones, hæmorrhagiam anotericam concernentem, & ex eadem ortam repentinam & ominosam stagnationem aut stasin sangvinis, magis & usitatius vero stagnationem, excipit, atque ita hoc schemate, plurimas huc usque commendatas fundamentales considerationes, illustrat, & in majorem consensum ducit.

§. XXVII.

Præter has vero febrium species, consentiunt adhuc plures alii febrium decursus cum plethora & moliminibus hæmorrhagicis, unde antiquiores medici inter *Synocham* & *Synochum* distinxerunt, & per posteriorem intellexerunt febrem cujus objectum est *putredo*, aut sub bona interpretatione, putrefaciens materia, quæ qualitatem humorum afficit & inficit; deinde vero etiam *sangvis copiosus*, qualis in simpliciori febre Synocha ipsis dicta occurrit: Sermo itaque hoc loco nobis est de talibus febribus, quæ pro *primario* suo objecto, sangvinem in *qualitate* sua alteratum & vitiosum habent, pro *secundario* vero *superfluum* & reliquo principaliori febris scopo & progressui incommodum & præjudiciosum, *quantitate* nimirum peccantem, sangvinem agnoscunt: unde etiam contingit, ut quia nimia quantitas sangvinis reliquo augmento motus progressivi & promptiori secessioni, atque coctioni materiæ in qualitate peccantis, perquam obesse solet, sub hac etiam febre vires & motus eo applicentur, quo unà plethora *imminuatur*: aut contingit, ut nunc sub *principalioris* effectus febrilis *prosecutione*, *plethora* quæ tam diu oneri fuit, uno eodem actu, una eademque communione, una eademque extraordinaria activitate, imminuatur: adeoque febris talis respectu *finium* ut *complicata*, non modo compareat, sed etiam revera existat: absolvitur vero talis duplicata finium prosecutio, ut sub reliquo febris decursu, ad certas regiones, singulares quædam *congestoriæ* restrictiones satis efficaces, strenuæ & *immoderatæ* suboriantur, & per illas immediata & *sinceri* sangvinis *exoneratio* urgeatur, quas vero congestiones, juxta superius traditum consensum, interdum *inflammationes*, aut incongruæ *secessiones* in partes nobiles, excipiunt, ut proinde phrenitici, soporosi, aphtodei & anginodei effectus conjungantur: deinde etiam alia methodo superflui sangvinis præsentia tractatur, ut nimirum auctiores iam motus, tam progres-

sivus

ſivus quam tonicus, magis *augeantur*, quo ex parte augmentum eorundem motuum ſatisfaciat *principaliori* ſcopo febris, ex parte etiam reſiduum augmentum ſufficiat, pro altero ſecundario fine, nimirum *reſolutione* & converſione ſangvinis in *ſerum*, quo correſpondens excretio *diaphoretica* & *diuretica* debite ſubordinari queat: ob id evenit ut plethorici, ita febricitantes, *intenſius* æſtuent, *magis* ſitiant, majori oppletorio ſenſu laborent, magisque *ſudent*: ex quo etiam harum febrium conſenſum ſecundarium & *ſymptomaticum* cum plethora, hæmorrhagiis & congeſtionibus demonſtramus.

§. XXVIII.

Sicut porro nimia ſangvinis abundantia ſive plethora futuram ſanguinis *ſpiſſitudinem* cauſari poteſt & ſolet, ut ſuperius monuimus, ita omnia hæc pathemata, quæ hoc ordine craſſitie ſanguinis nituntur, cum *plethora* denuo evidentem *conſenſum* tenent & conſervant, quid quod proinde in diverſis morborum ſpeciebus ſanguinis immobilior conſiſtentia adeſt, molimina hæmorrhagica non raro concurrunt, ut imminuta ſuperflua & moleſta quantitate ſanguinis, reliqua ſpisſitudo facilius, quantum quidem à viribus naturæ ſperari poteſt, emendari queat; cum contra præſente illa *plenitudine*, ſanguis magis in hac ſua conſiſtentia foveatur, partim ob inſufficientem ſangvinis *commotionem*, partim ob viarum incommodam *oppletionem*, uti ſupra dictum: obſervantur itaque, quantum ipſa hiſtoria medica indicat, ſubjecta illa *ſpiſſum* ſanguinem continentia, communiter etiam *plethorica*, tam ex præcedenti vitæ genere, regimine & diæta, quam ex diverſis conſpicuis phænomenis: producimus inter alias talium morborum ſpecies, affectionem *hypochondriacam*, quæ ex plena diæta, aut ſimul crasſis alimentis & ſedentaria vita orta eſt; prout vero crasſities ſanguinis ex nimia ejus quantitate origines ſuas interdum recipit, ita plethora tanquam mater

& nutrix hujus ſpisſitudinis conſenſum hunc quem allegamus, ſatis comprobat, licet nobis non animus ſit, hoc loco exponere, quomodo ſuperfluus ſanguis ad ſpisſitudinem ejus contribuat: illud vero tantum hac occaſione annectimus, quomodo frequentius, hæc *hypochondriaca* pasſio ad *hæmorrhoidales* ventilationes & eruptiones tendat, quin etiam per hasce eximie levetur, & mitigetur, uti Diſſertatio *D. D. Præſidis de Hæmorrhoidibus medicina hypochondriacorum*, latius explicat: quo magis contra in eodem affectu non modo ſanguis augetur, ſed & neceſſaria, ſufficiens & tempeſtiva ventilatio ſanguinis ſive ſpontanea ſive artificialis cohibetur & negligitur, eo magis talis affectus fovetur, confirmatur & exacerbatur: per hanc ſpiſſitudinem ſanguinis vero conſentiunt cum fundamentalibus noſtris conſiderationibus diverſi alii affectus, nimirum *Se-* & *Excretionum* ordinariarum difficiliores ſucceſſus, alvi obſtructiones, flatulentiæ, certo reſpectu Iliaca paſſio, infarctus ſcirrhoſi Hepatis & Splenis, vertigo, anguſtia præcordiorum, palpitatio cordis, conſtans languor in viribus, Spaſmi in diverſis corporis regionibus, de quibus ſupra actum fuit; quæ ſingulæ afflictiones etiam ex hoc capite & conſideratione cum *plenitudine* ſanguinis & *motibus hæmorrhagicis* ſimpliciori modo conſentiunt.

§. XXIX

Demonſtravimus itaque conſenſum vitioſæ humorum qualitatis cum vitioſa quantitate in ſpecimine ſpiſſitudinis ſanguinis; ſed ſupereſt adhuc notatu dignus conſenſus inter affectus diverſos *ſeroſos*, *bilioſos* & *plethoram* atque negotium *hæmorrhagicum*; quotiescunque enim Cachexia oedemata, hydrops, Icterus & fœminarum chloroſis ex *ſuppreſſis hæmorrhagiis*, aut moliminibus hæmorrhagicis *anomalicè* decurrentibus vel perturbatis oriatur, docet quotidiana experientia; ſed ut paulo clarius hunc conſenſum indicemus, ex hiſtoria medica commemorare debemus, quam

ſæpe

ſæpe ex *moliminibus hæmorrhoidalibus* aut *menſibus* irregularibus, & impeditius ſuccedentibus vel ex hæmorrhoidibus & menſibus imminutis, ſuppreſſis aut perturbatis, prædicti affectus generentur, ut ex inſolita ſanguinis coacervatione, & diverſa humorum reſtrictione, regurgitatione, atque detentione *organa ſecretoria*, imprimis glandulosa, graviter offendantur, videlicet *oppleantur*, diſtendantur, relaxentur, infarciantur, *deobſtruantur*, & ad futuros uſus colatorios inepta reddantur, ut *ſerum* diutius retentum, laudabilem, pinguem & gelatinoſam *lympham* invadat, ejusque volubilitatem & mobilitatem alteret, conſiſtentiam *ſpiſſiorem* eidem inducat, & futuris partium eliquationibus, *remollitionibus*, organorum colatoriorum majoribus oppletionibus, ſecretionum impedimentis, vaſorum lymphaticorum *dilacerationibus* & lymphæ à ſero inquinatæ *extravaſationibus* uberiorem occaſionem præbeat: contra vero evenit in hiſtoria practica ut *progreſſus* prædictorum morborum *tempeſtivo* hæmorrhagiarum talium *reditu* eximie intercipiatur: loquimur vero de tempeſtivo tali recurſu, quoniam affectibus illis iam radicatis & *confirmatis* ſerius ſupervenientes tales excretiones nihil utilitatis conferunt, quod nimirum ad *plenariam* reſtitutionem contribuere poſſit. Deinde ex experientia ſimplici & ingenua abunde conſtat, quantum adſuefactæ *artificiales* ſanguinis depletiones, ſubito neglectæ & omiſſæ ad *initia* & futuros *progreſſus* talium morborum contribuant: imo conſtat quoties molimina hæmorrhoidalia in hypochondriis tantum comminantia, aut hypochondriaca pathemata vel ſponte vel per mala artificia & regimina perturbata, *ictericas* conſecutiones excitaverint: cum itaque motus hæmorrhoidales, menſtrui, hypochondriaci & ſimiles, juxta præmiſſas noſtras declarationes, cum ſanguinis abundantia converſentur, ejusque imminutionem reſpiciant, ita prædictorum conſequentium

F 2 af-

affectuum consensum cum plethora, & negotio hæmorrhagico stabilimus & commendamus.

§. XXX.

Seorsim adhuc reminiscimur singularis illius consensus, qui inter *plethoram*, motus *hæmorrhagicos* & *abortus* intercedit, ubi non opus est multis parallelis exemplis ex suffragiis practicorum commonstrare, quoties plethora illa & adsuetudo ad liberales & copiosas purgationes menstruas, abortum provocaverit, illud tantum è praxi medica pensitationi commendamus, quî & quam sæpe cum multo simplici & directo fructu *artificiales* sanguinis imminutiones abortum præoccupaverint: ut propterea solertes observatores permoti fuerint, seposita speculatione & credulitate de *vivificante* sanguinis qualitate, tanquam singulare & admirandum phænomenon practicum, interceptionem abortus cum *Venæ Sectione*, bis, ter, quater, quinquies, susceptam & feliciter obtentam, recensere & commendare, quid quod *Venæ Sectionem* in gravidis *innoxiam* prædicare, atque de *Hippocratis* asserto, quo Venæ Sectioni in gravidis abortum provocantem qualitatem *Sect. 5. aph. 31.* adscribit; & *Donat. ab Altomar. lib. de uter. ger. c.* 4. traditione, quod Venæ Sectio abortum non provocet, sed promoveat, quam *Primerosius de Morb. mulier. Lib. 4. c. 2.* revellit, dubitare Sicut vero juxta nostram mentem hoc non dictum *de omni* est, nimirum quasi omnem abortum Venæ Sectio avertere debeat, ita non dictum est *de nullo:* sed sæpe veritatem nostræ declarationis attenta experientia commonstrat: conferatur Diss. *Excellent. D. D. Stahlii de Abortu & Fœtu mortuo.* Illud itaque ex historia medica innumeris documentis fluit, quam facile *plethoricæ* femellæ *abortui* non modo exponantur, sed & ad statarias, exquisitas sive *periodicas* abortuum recursiones disponantur: quo adhuc referimus illam circumstantiam, quæ communiter abortum comitari solet, nimirum *prodigum* fluxum uterinum

num cum multis *immoderatis* commotionibus conjunctum, & præter immaturi fœtus expulsionem commissam, *plethoram* strenue exonerantem. Ex quibus considerationibus ad Historiam Medico Practicam spectantibus explicamus & defendimus *abortuum* consensum cum *plethora* & negotio *hæmorrhagiarum*, quanquam *unius* rei, & ita etiam abortus, *plures* esse possint causæ: illud tantum hoc loco significamus, quod sæpe abortus ab hac commemorata caussa provocentur, quo proinde in Medicina Practica sæpe attentus animus applicandus est.

## §. XXXI.

Memorabilis est illa connexio inter *hæmorrhoidum* suppressionem & *febrem quartanam* occursans, quam observatores recensent, sed tantum *consecutionem* horum affectuum respiciunt, qualis historia commemoratur in *A. N. C. Dec. I. an. III. obs.* 331. nos potius in illa consecutione etiam *connexionem* annotamus, quando retentus superfluus sanguis non magis viscera abdominis copiosius obruit, sed & sub diversa peculiari restrictione *congestoria* eadem infarcit, & obstruit, ut propterea *febris* superveniens *reserationi* horum viscerum intenta cum *abundantia* sanguinis præter modum & consuetudinem retenta, & nihil amplius ventilata, organa colatoria obruente & opplente, quin sub diversis congestoriis commotionibus affligente consentiat, atque ita iterato hic consensus inter plethoram & negotium hæmorrhagicum cum specialissimo hoc febrili affectu pateat: quod brevibus adhuc tanquam ex superfluo in singulari tali consecutione notare placuit. E simili fundamento deduci & explicari possunt aliæ sonticæ & singulares morborum consecutiones & connexiones, ut Polypi cordis, verrucarum hæmorrhoidalium, alvi contumacissimarum obstructionum, palpitationis cordis, asthmatum, flatulentiæ contumacissimæ, vomituum spontaneorum pertinacissimorum, pathematum hypochondriacorum, mali splenetici, passionis Iliacæ, affectu-

um ſerpiginoſorum ex hæmorrhoidibus perturbatis aut obſtructis: aut ſcabiei, phthiſeos, hecticæ Icteri, atrophiæ, ſpaſmorum miraculoſorum, & intumeſcentiarum ſuperficialium ex menſibus turbatis & impeditis, quarum notabilium conſecutionum conſtitutio ſimili *conſenſu*, quem hucusque expoſuimus nititur.

§. XXXII.

Recordamur adhuc diverſorum ſymptomatū in ſe alias admodumcomplicatorum&abſtruſorum è præſenti vero noſtra conſideratione *Conſenſus morborum* quoad cauſalē cognitionem facile explicandorum & illuſtrandorum. Loquimur de diverſis *Gravidarum* afflictionibus, imprimis *ventriculum hypochondria* & loca *hæmorrhoidalia* attingentibus, & cardialgiis frequentibus, conatibus vomendi, actualibus vomitibus, aut anguſtationibus hypochondriorum, ſpaſticis tractionibus atque tenſionibus, ardoribus & protuberantiis in partibus hæmorrhoidalibus, doloribus ſpasmodicis in femoribus, lumbis & coxendicum regionibus, (quo etiam rhevmatico-arthritica pathemata referimus,) ſeſe prodentibus: accedunt vero præter hæc adhuc diverſa alia, videlicet cephalalgica & fluxum Menſtruum aliàs comitantia mala, ut tenſiones ſtrictoriæ, ſpasmodicæ, tenſoriæ, gravativæ, anguſtatoriæ in regione hypogaſtrica ſuccedentes, non excluſis actualibus hæmorrhagiis uterinis, ante partum aliquando infeſtantibus: quanquam vero hoc loco noſtra intentio non ſit, quælibet gravidarum ſymptomata commemorare, eademque *omnia* ac *ſingula* in hunc *præſentem* cenſum ac *conſenſum* ducere, tamen de his, quorum impræſentiarum mentionem fecimus aſſerimus, quod ad præſentem *conſenſum* pertineant, ita quidem, ut *plethora*, quæ gravidis valde *familiaris* exiſtit, nitantur, & in diverſis *contentionibus* excretoriis & abundantiam ſanguinis *imminutoriis*, aut congeſtoriis & ſpasmodicis moliminibus conſiſtant; unde eadem pathemata femellis evidenter *plethoricis* familiaria depre-

prehenduntur, maxime vero illis, quæ vel ob animi pathemata, vel diætæ & regiminis vitia, suæ plethoræ multiplicem commotionem experiuntur, quæ eandem plethoram pleniori diæta magis accumulant, & antehac copiosioribus mensium purgationibus adsuetæ fuerant: unde ex suffragio experientiæ innumeris exemplis & documentis innotuit, quomodo *Venæ Sectio* opportuna, repetita & moderata non modo in genere *gravidis* proficiat, sed seorsim hæc pathemata præoccupet & mitiget: qua ipsa animadversione brebrevibus notamus, quod hæc gravidarum symptomata cum *plethora*, & negotio *hæmorrhagiarum* sincere & simpliciter consentiant.

§. XXXIII.

Quanquam hactenus diversorum morborum verum & simplicem consensum commonstraverimus, certe minime negamus, quod tractatio de *harmonia morborum* adhuc copiosis documentis & speciminibus continuari & commendari posset: sed quoniam in hoc præsenti proposito brevitati studere & *Specimen* hujus negotii sistere animus fuerat, non placet pluribus inhærere: illud vero adhuc annectimus, quod consensus diversorum intricatorum *symptomatum* cum ipso morbo ex hoc nostro suppeditato specimine & *fundamento* enodari & explicari queat, quando v. g. in phthisi per certa intervalla urgent orgasticæ commotiones sanguinis, ardores in vasibus sanguiferis, majores angustationes, tam in pectore quam in reliquo corporis habitu, intensiores febriles commotiones, fœtidæ exspirationes, virium majores jacturæ, expectorationes magis coloratæ, aut cum striis cruentis refertæ, vel sensationes dolorificæ, tensoriæ & lancinatoriæ in pectore &c. sicuti in aliis affectibus hectica nimirum, hydrope, asthmate, talia *insolita* pathemata plane *extraordinaria* concurrere solent, quorum connexio cum morbo *primario* satis evidens deprehenditur, si indolem plethoræ & moliminum hæmorrhagicorum atque consectariorum ex ejusmodi motu hæmorrhagico pendentium,

con-

condignè intelligimus atque applicamus, ut necesse non sit alias obscuriores causales deductiones, excogitare atque obtrudere: qua propter præsenti themate commendatus consensus sese ad symptomata multiplicia, uti sparsim demonstravimus extendit. Quantæ vero utilitatis sit hæc tractatio ad *Medicinam practicam*, certe ipsa experientia testabitur & promereret hæc consideratio peculiarem disquisitionem & applicationem ad usum practicum, de quo hoc tantum loco illud affirmamus, quod eximius sit & ingenuus, dum in uno quoque morbo veram *originem* & legitimam sui *successus* rationem comprehendimus atque ita animum ad veram morbi cujusdam *causam* applicare discimus, ne aliam causam ex opinione magis & imaginatione, quam ipsa re & veritate aggrediamur, atque ita male intellecto morbo, male curemus; proinde vera cognitio hujus consensus inter morbos obvii, obfirmat animum medici, quo minus ad aliena trahatur & inconstanter, fugitivè & dubiè res suas exerceat, sed à suspecta indicationum & indicatorum multiplicatione sedulo abstineat: in omni vero hac practica applicatione ordinatè & methodicè procedat, contra vero crassas & plebejas conclusiones & subsumtiones eviitet. Fatemur equidem quod de hoc negotio multa adhuc dicenda sint, spatium vero & terminus hîc abrumpere cogit, imprimis cum propositum nostrum ad plura se non extendat, qua propter in præsentibus hisce consensus morborum commendationibus acquiescimus: Deum interim rogamus ut hujus præsentis medicæ tractationis utilitatem gratia sua confirmet & promoveat, quo veritas magis magisque elucescat & opinio atque conjectura magis evilescat: cui benignissimo & summo rerum directori devotissimas grates persolvimus, quod ad præsentis Thematis explicationem & commendationem vires & intellectum suppeditaverit & cui omnes nostras intentiones & contentiones perpetuo consecramus.

(o)